

et cerebro consentire debere. Ap. DREX., in *Phaet.*, c. xxxv, § 1.

Veteres picturi hominem mendacem, picam flexere, a fronte albam, et a tergo nigricantem, ut per hoc significarent, mendaces in faciem albam veritatem proponere, nigram vero falsitatem in corde occultatam gerere. *Ibid.*

Idem veritatem in quadrato saxo, mendacium in globo statuebant, ut indicarent illam stabilem, hoc vero inconstans et volubile esse, et hac ipsa sua inconstantia et volubilitate periturum; neque enim fraudulentent invenit lucrum, mendacium odisse debet.

Plinius mendaces appellat abominandas victimas Reipublicæ tranquillitati consecrandas. *PLIN.*, in *Paneg.*

Prisci Ægyptiorum Sacerdotes principi suo Saphirum veritatis Symbolum in collo appendebant, ut eum monerent quantopere veritatem amare, mendacium odisse deberet.

Veteres mendacium depinxere typo serpentis venenum eructantis, sphaeræ incubantis, ferrenumque diadema in capite gestantis. Sphaera ejus inconstantiam denotat, diadema ferreum ejus tyrannidem in subditos suos, quos vineulis mancipatos tenet. *ib.*, n. 5.

Gallienus imper. uxore conquerente, quod impostor gemmas vitreas pro veris obstruisset; velut ultionem sumpturus jussit eum in theatrum produci quasi leonibus obijciendum et dum miser leones expectat, caprum prosilire. Mirante vero hoc factum populo, proclamare jussit: Imposturam fecit et passus est. *Ibid.* conc. 6, in *Dom.* 8 post *Pent.*, n. 5.

Concordiam oris et cordis veteres per pomum persicum adumbrabant, hinc illud Poetae:

Fert folium linguae: fert poma simillima cordis.
INGELOR., in *Dom. Pas.*

Omnis homo mendax, solus Christus verax est; unde Pilato interroganti: Quid est veritas? aptum anagramma respondet: Est vir, qui adest. *Ibid.*

Non male recens quidam Poeta cecinit:

Namquid in octavo mendacia plurima vulgus
Edat, an in quarto, quaeris, an in folio?
In decimo sexto mentitos plurima saeculo,
Suspicio historicos quolibet in folio.
Ibid.

DAMNUM. — Hebraei sapientes dicere sole-

bant: Omnis, qui falsum testimonium dicit contra proximum suum, dignus est, ut canibus projiciatur. *DREXEL.*, in *Phaet.*, c. xxxvi, § 1.

Artaxerxes militem quemdam mendacem cum deprehendisset, linguam illius tribus clavibus perfodi jussit. *FAB.*, conc. 5, in *Dom.* 7 post *Pent.*

Trajanus Imper. cum filio Regis Thraciae regnum patri juste oblatum relinquere decrevisset postquam eum in mendacio deprehendit, mutavit sententiam, dixitque illi: Tamquam mendax indignus es regno, nec deceat, Romam matrem veritatis habere filium mendacem. *Ibid.*

Hispanus cum solvere hospiti symbolam deberet, eidem, si sine pretio dimitteret, promisit artem traditurum, qua potest ex eodem dolio tria vini genera educere. Itaque postulans terebrum, accessit ad dolium, ac primo foramine facto, jussit hospitem apposito digito dextrae manus id tantisper obstruere, donec et in altera parte id faciat. Quo facto, jussit et sinistrae manus digitum apponere, demum in medio quoque cum fecisset foramen os jussit admove, quo facto, au fugit, et hospitem nimia sua credulitate deceptum reliquit. *LAURENT. FOREN.*

Epenatus dicere solitus est, mendaces omnium scelerum, et injuriarum auctores esse. *PLUTARCH.*, in *Lacon.*

Spartiatius refert, Claudium imperatorem praecipisse, ut corpus Pamphili mortui relinqueretur insepultum, et a canibus devoraretur, nec non omnibus facultatibus ejus confiscatis, domoque illius in terram demolita, filii et uxor ejus ab urbe Romana exularent eo quod mendacis assuetus, verum nunquam dixisset.

AXIOMATA.

Interpres animi lingua, mentiri nefas. Quisquis timet Deum, abstinet mendacio. *VETUS IAMBUS.*

Nil vanitate mentiendi turpius.

Odere divi, odere homines mendacium.

Libro cuique summum dedecus est mendacium.

Nec amat Deus, nec adjuvat mendacium.

Implicatur, explicari dum studet mendacium.

Quanto magis se ornat, tanto deformius est.

Quanto magis sese occultit, magis patet.

Perluceat omne, si inspicio mendacium.

Plurimos laesere, pessum imo dedere mendacia.

Vel timet, vel egenus est, qui utitur mendacio.

Vase in aureo venenum est eloquens mendacium.

Mendacium malis loco virtutis est.

Augentur ut nivis globus mendacia.

Mendacem memorem esse oportet.

AUCTORES.

Joannes Busæus in *Panario*. V eodem.

Jeremias Drexen. in *Phaet.*, cap. xxxv, xxxvi, xxxvii.

Jacobus March. in *Horto Pastorum*, tr. iv, lect. xvi.

Philippus d'Outreman, in *Pædagogio Christiano*, p. I, c. v, § 7.

Mathias Faber conc. in *Dom.* 7 post *Pent.* et conc. 6 in *Dom.* 8 post *Pent.*

Henricus Engelgrave in p. I. *Lucis Evang.* in *Dom. Passionis.*

Josephus Langius in *Polyanthæa*. V. eodem.

Antonius Daurolitus in *Floribus Exemplorum*, c. iv, tit. 126.

Josephus Mansi in *Bibl. mor. tract.*

MINIMORUM CURA.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est studium diligens ac providum rerum minimarum, sive declinandarum, cum perfectioni nocent, sive complectendarum, cum prosunt. Ita Julius Nigronus. Dicitur autem hæc cura ad perfectionem maxime pertinere, quia cura maximorum, peccatorum præcipue vitandorum, non tam ad perfectionem, quam ad salutem necessaria est. *JULIUS NIGRONUS, de Cur. min.*, p. 1.

DIVISIO. — Dividitur in curam minimorum declinandorum et quaerendorum; quæ

utraq; in varias iterum species a Nigrono subdividitur. Et cura quidem minimorum declinandorum sex habet species. 1. Curam minimarum *tentationum*: nam, ut S. Gregorius recte monet, tanto quisque debet initia tentationis fugere, quanto finem ejus intelligit citius solvi non posse. Quod ipsum confirmans Thomas Kempensis, vigilandum est, ait, præcipue circa initium tentationis; quia tunc facilius hostis vincitur, si ostium mentis nullatenus intrare sinitur. 2. Curam *periculorum* minimorum: qui enim amat periculum, in illo peribit, teste Siracide. 3. Curam *passionum* minimarum: nam enim scintilla parva contempta incendium parit. 4. Curam *peccatorum* minimorum: quibus peccatis (ut loquitur Casarius Arelatensis) licet occidi animam non credamus, tamen ita eam velut quibusdam pustulis, et quasi horrenda scabie repletam, deformem faciunt, ut eam ad amplexus illius cœlestis Sponsi aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant. Imo, ut S. Augustinus ait, omnia simul congregata, velut scabies, quo plura sunt, necant. 5. Curam *regularum* minimarum: nam nobis, inquit S. Bernardus, ad immunditatem minima quælibet inobedientia sufficit; nec jam novus est, sed grandis macula, si in actionibus nostris vel minimorum residet negligentia mandatorum. 6. Curam *vitiatorum habituum* minimorum: id est, talium, qui a laxatis ordinibus quidem non magni fiunt, sed tamen moribus bonos non leviter corrumpunt, et virtutum invicem connexarum concinnitatem deformant. S. GREGOR. I. XXXII *Mor.*, c. xvi.

Cura minimorum quaerendorum pariter sex species involvit. 1. Minimorum curam in victu. 2. In vestitu. 3. In habitatione. 4. In officiis. 5. In aestimatione et honore. 6. In favore et amore; quo enim ferventius minima in his sex objectis quaeruntur, tanto propius ad similitudinem Christi appropinquatur, ut qui in his omnibus minima semper spontanee elegit.

EX. S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Minimum pro magno placeat tibi, et improprie peregrinationis non audies.

Qui fidelis est in minimo, et in majori fi-

delis est : et qui in modico iniquus est, et in majori iniquus est. *ECCL. XXIX. 30.*

UTILITAS. — Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. *MATT. XXV. 23.*

Pro nihilo (id est, minimo opere et industria) salvos facies illos.

Id enim, quod in præsentia, est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis.

Vulnerasti cor meum, Soror mea Sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui.

DAMNUM. — In pigritiis humiliabitur dignatio, et in infirmitate manuum perstabit opus. *ECCL. X. 18.*

Qui spernit modica, paulatim decidet. *ECCL. XIX. 1.*

Qui timet Deum, nihil negligit. *ECCL. VII. 19.*

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Nescio, an possimus leve aliud peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur; estque ille prudentissimus, qui non tam considerat, quod justum sit, quam illum, qui jusserit : nec quantitatem imperii, sed imperantis cogitat dignitatem. *S. HIER., in ep. ad Celant.*

In minimis probandum est conflictibus, quam viriliter in majore certamine stare possimus. *S. AMBR., l. I Offic., c. X.*

Perfectæ, et sincerissimæ sanctitatis cultores suos volens facere Salvator, jussit ab iis cautissime etiam minima vitari, scilicet, ut quam pura est pupilla oculi, tam pura esset Christiani hominis vita.

NECESSITAS. — Non minimum est contemnere minima, quæ non minimam moribus maculam eo turpius neglectu habita ingerunt, quo vitari facilius cognita potuerunt. *S. BONAV., in prol. Spec. dis.*

Si curare parva negligimus, insensibiliter seducti, etiam majora audenter perpetramus. *S. GREG., l. XX Mor., c. IX.*

Discite, justum judicem Deum, non modo, quid fiat, sed quomodo fiat, considerare, et cavere deinceps, ne quis parva reputet, quamlibet parva, si scienter delinquere convinctur. Nemo dicat in corde suo : levia sunt ista, non curo corrigere; non est ma-

gnum, si in his maneam venialibus, minimisque peccatis; hæc enim, dilectissimi, impenitentia est, hæc blasphemia in Spiritum Sanctum, hæc blasphemia irremissibilis. *S. BERN., in Sermon. de conv. S. Paul.*

UTILITAS. — Qui diligenter ex unaquaque re fructum decerpunt, iis perinde ac magnis fluminibus multæ ex omni parte accessiones fieri consuevere. Nam modico modicum apponere, non magis in argenti, quam in cujusque alterius scientiæ additione, ad amplitudinem valere existimandum est. *S. BASIL., or. VI.*

Qui sensualitati, voluntati que propriæ propter Deum etiam in rebus minimis reluctatur ac se mortificat, rem ipsi Deo magis gratam facit, quam si multos mortuos ad vitam revocaret. *BLESIIUS, c. II, Inst. sp.*

Certissimum est, quod in multis Ecclesiis experimento didicimus, quia in monasterio, ubi minima districte custodiuntur, ibi rigor monachorum inviolabilis permanet, ibi pax inter Fratres et in Capitulo proclamationes conquiescunt. *S. ANSEL. ep. VI, ad Monac.*

Mos Dei est, dare magna pro parvis. Dominus noster non, quantum detur, consuevit attendere, sed voluntatis largitatem, et ob hoc etiam parva magni facit. *S. CHRYS., h. LXII, in Genes.*

Nihil est minutum, quo Dei causa fiat, sed grande et spirituale, et ejusmodi quod cœlum nobis et cœlestia præmia conciliet. *S. BASIL., Const. mon., c. XXIV.*

Justi parvis actionibus magis Deum placent, ac flectunt, quam nonnulli, qui multa faciunt; non enim ad actionem respicit Deus, sed ad propositum voluntatis : et non intuetur, quod fit, sed quo quid studio ac professione peragatur. *S. EP., s. de Pœn.*

Omnia Deus facit, et satagit, ut ex minimis te coronet. *S. CHRYS., hom. XXXVIII, ad Pop.*

Præstat exigua portio maximi pretii multis vilibus et periculosis opibus, parum auri multis plumbi libris. *S. GREG. NAZIAN. Orat.*

EXEMPLA CATHOLICA.

UTILITAS. — S. Eusebius, cum collum catena sic ad zonam ligasset, ut neque cœlum, neque campum subjectum aspicere posset, quæsitus, quam inde utilitatem caperet? respondit, se id facere, ut hostem a majori-

bus certaminibus ad hæc parva, traduceret, in quibus, etsi vicerit, non magnum adfert detrimentum; sed si victus fuerit, evadit magis ridiculus, ut qui nec in parvis quidem evadere possit superior. *THEODOR., Hist. c. IV.*

Senex quidam rogatus a Fratribus quomodo posset sustinere voces puerorum peccora pascentium respondit : In veritate, Fratres, plurimos dies habuit cogitatio mea, volens illis aliquid dicere, sed redargui meipsum reputans mecum, si parum hoc non porto, quomodo si major mihi tentatio adveniret, portabo? et ideo illis nihil dico, ut fiat mihi consuetudo portandi. *RUFIN, l. III, n. 9.*

Quidam religiosus cum oblitus micæ in mensa colligeret, eas post mensam collegisset, et ad culpam dicendam Superiori ostendere vellet, eas subito in pretiosas uniones conversas reperit.

S. Theresia res minimas tanti momenti esse sentiebat ad inchoandum in virtutibus profectum, et ut anima pennis et alis carens volare incipiat, ut nemo id credat, nisi qui in se expertus est. *Vita, c. XIII.*

S. Maria Magdalena de Pazzis, Deo revelante, didicerat, inter quinque res petendas pro conservando quovis Ordine in primævo suæ religionis statu, hanc quoque perpetuo petendam, ut omnes religiosi perfecte cognoscant, quanti momenti sit observare quamlibet minimam res sanctæ regulæ. *Vita, p. IV, c. XIV.*

B. Aloysius Bertrandus feria sexta in Capitulo cum tanto rigore reprehendebat, et castigabat silentii violationem, somnum paulo longiorem, erratum in choro, et his similia minima, ut dies judicii videretur, eo quod ab hujusmodi minutis disciplinam, et profectum religiosum dependere crederet. *Vita, c. IV.*

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius, cum Bobadilla se opponeret Oviedo, domesticam disciplinam ad minutissimarum legum normam exigenti, jussit Oviedum, suo munere cum tota libertate fungi; sentiebat enim in his violandis plus plerumque latere periculi, quam in maximis, propterea quod maximorum damnum, si violentur, apparet, facileque in promptu

est; at eorum, quæ pro minimis habentur, exitium, nisi progrediente tempore non sentitur. Hinc ipso pro ejusmodi transgressionibus poenas non leves imponere consueverat. *Hist. Soc., liv. XII, n. 28.*

S. Franciscus Xaverius dicere solebat : Nemo se ipsum fallat; non potest quispiam in rebus magnis excellere, qui non prius excellat in parvis; qui enim parvo oneri ferendo non sit, multo minus magnum est laturus. *L. III, ep. V.*

Aloysius, ut auctor vitæ scribit, persuasissimum sibi habebat, verum ac perfectum religiosum illum esse, qui admissum omnes regulas sui Instituti observat, quidem omnem diligentiam adhibet in perfectam exercitationem eorum omnium numerum et exercitiorum etiam minimorum, quæ omnibus in dies singulos ordo præscribit. *Vita, p. II, c. I.*

B. Stanislaus legum erat omnium, disciplinae que domesticæ servantissimus, alacritatis ad obtemperandum moderatioribus singularis, ut nihil, quantumvis minimum videretur, contemnens. *SACCHIN, in vita.*

P. Petrus Faber dans viro cupiam docto, qui ad Societatem accesserat, monita, inter reliqua ait : Libentissime audimus, te inter Fratres infima quærere et ultima, atque minima consecrari; nam magnitudo humanæ mentis non in eo sita est, ut magna ex suo sensu amet, et amplectatur, magna, inquam, hujusmodi, sed ut ad minima se extendat. Perge itaque exerceri in iis minimis ut maxima æternæ vitæ promerearis. Non ignoras, apud arithmeticos notam, quæ Cifra vocatur, nihil per se valere, sed conjunctam numeris, incrementum iis majus afferre, quanto post plures ponatur. Quidni ergo nos omnes gaudeamus, qui novimus te, qui numero nostro accessisti, de vilibus vitæ hujus tum colligere pretium ac valorem. Ama minimo nomine appellari ab omnibus, si nomen bonum velis tibi comparare. Idem dicere solebat, Deum, cuius est totum, quod est optimum majora sæpe homini dona differre, ut, dum comparandis minoribus invigilat, quasi quibusdam gradibus ad majora perveniat.

De Francisco Ribera scribit Ludovicus de Ponte : Leges et reliquas Superiorum ordinationes exactissime servavit, non solum tempore tyrocini, sed etiam totius vitæ, ita ut neque studia, neque aliæ occupationes, quas habuit, potuerint ipsum ab exactione

impedire, aut ab exacta cuiusvis regulæ, etiam minima, observatione retardare. *Vita P. Balch. Alvar. c. xxxi.*

P. Baltassar Alvarez continuo seipsum persequatur, sibi que negabat, quidquid natura appeteret, non solum in rebus maioribus, sed etiam in minutissimis: dicebat enim substantiam mortificationis in eo consistere, ut in rebus omnibus etiam minimis adhibeatur, ut non solum rectus, et perfectus in suo statu esset, sed etiam in minutis ejus sponsam æmulando, cujus manus, et digiti usque ad extremitatem pleni erant myrrha probatissima, et qui eo usque pervenerit, ut dicere poterit: Consummatum est, quidquid scilicet voluntati divinæ repugnabat. *Vita, c. iv, § 2.* Observaverat enim diligenter, plurimum placere Deo, quod quis divinam ejus voluntatem plene, etiam in rebus minimis, exequatur, ut nos ad sumum conspectum et familiaritatem admittat. *ib. § 1.*

EXEMPLA PROFANA.

Alexander Magnus dicebat ad suos milites, in bello nihil tuto in hoste despicere posse, quantumvis minimum, nihilque parvum esse dicendum, ex quo gloriæ magnæ laus queat oriri. *CERT. l. VI, 9.*

Galenus probaturus in parvis operibus majorem admirabilitatem inesse, narrat, sculptum a se visum in annuli gemma Phaetonem quatuor equis invecum, quorum frænum, os, dentes anteriores discernabantur, et crura mirabiliter articulata erus pulicis non excedebant. *GALEN. l. XXVII de c. 1. Usu part.*

Myrmecides quadrigam ex ebore, quam musca alis integeret, et navem, quam apicula penni absconderet, fabricavit. *PLIN. VII, XXI.*

Alius quispiam, ut nomen sibi magnum ex re parva compararet, totam Homeri Iliadem charta, quæ in nucem concludi poterat, comprehendit. *NIGR. p. V. de Aur. min. lor. tom. iv.*

SIMILITUDINES.

UTILITAS. — Sicut granum sinapis, quod minimum videtur in semine, maximum tamen extat in olere; sic minimorum cura

in spicas altissimarum virtutum, et altissimos manipulos celestium gratiarum excrescit. *S. PAULIN. ep. xx, ad Amandum.*

Sicut opes corporis accumulatur, cum amatores illarum ne minimum quidem lucellum negligunt; sic spirituales divitiæ per minimorum sedulam curam augentur. *S. CHRYS. in Paran. priore.*

Sicut fluvius ex sui fontis origine perexiguus oritur, sed processu longiori deliciis, rivis hinc inde confluentibus dilatatur; sic interior noster homo in sanctæ conversationis itinere tenuis, et velut aridus incipit, paulatim vero per incrementa virtutum quasi rivis undique concurrentibus convalescit. *PETRUS DAM. ap. Lyr. app. 5.*

Sicut apud Indos testæ et vitrea crepundia multo auro, gemmisque permutantur; ita minima opera apud Deum pro incomparabilibus gaudiis celestibus accipiuntur. *ENGLER. Dom. Sept. § 4.*

Sicut paulatim homo a minimis vitis in maxima proruit; ita a modicis virtutibus gradatim ad ea, quæ sunt excelsa, contendit. *S. ISID. l. II. sect. xxxvi, n. 3.*

DAMNUM. — Sicut domus numquam subitaneò ad ruinam incumbit impulsu, nisi aut antiquo vitio fundamenti, aut longa habitantium defidia, stillicidiis primum parvissimis penetrantibus corrupta fuerit sensim munimenta tectorum; sic neque ruina spiritualis subito contingit, sed primo minutissima stillicidia passionum ad animam penetrant, quæ si velut parva ac levia negligantur, corrumpunt ligna virtutum, et posthæc influunt imbres largissimi vitiorum, per quos in die hyemali (ut loquitur Salomon, *Prov. xxvii, juxta 70*) id est, tempore tentationis, ingruente impugnatione diaboli, expellitur mens de habitazione virtutum, in qua aliquando circumspectam diligentiam retinens, velut in domus propriæ possessione requieverat. *ABRAS THEODORUS apud Cass. Collat. vi, c. ult.*

Sicut pisces decurrente aqua vivarii moriuntur, si clausuræ ipsius minutatim ac sæpe crepant, nec reficiuntur; ita omnis Religio monastici Ordinis funditus perit, si custodia ejus per modicarum contemptum culparum, paulatim a fervore suo tepescit, attestante S. Scriptura: Qui modica spernit, paulatim decidet. *S. ANS. l. Simil., c. cxxii.*

Sicut quo nitidiores manus sunt, et gravius quoque minor in eis nevus offendit; et sicut pretiosam vestem exigua quævis

macula turpis decolorat; ita ad immunditiam minima quævis inobedientia sufficit, nec jam nevus est, sed gravis macula, si in actionibus nostris vel minimorum residet negligentia mandatorum. *S. BEAN. s. de Tripl. custod.*

Sicut in corporibus, quæ vulnera licet parva neglexerunt, febres gignunt et putrefactiones, ac mortem denique; ita et in animis qui pusilla dissimulant, majora invitant. *S. CHRYS. in I Gal.*

Sicut medici in corporibus aegris nihil, quod nociturum est, relinquunt; ita, quidquid obstat imperio (aut apud Religiosos perfectioni) nos pari studio recidamus. *CURT. l. VI.*

Sicut, si qua in dolio rimula existat, defluit vinum, antequam Dominus sciat si negligens est; sic quælibet res quamvis exigua, fructum excutit hominis negligentis. *ISAÏ. ABB. orat. XII.*

MOTIVA.

Liberalitas Dei erga nos: qui, teste S. Chrysostomo, sicut parturienti cupit eniti foetum, ita effundere misericordiam suam desiderat. *S. CHRYS. or. de B. Philog., et, ut S. Cyprianus loquitur, profluens largiter, nullis finibus premitur, nec coercentibus claustris intra certa spatia metarum frenatur, manat jugiter, exuberat affluenter; nostrum tantum sileat pectus, et pateat. Quantum illi fidei capacis (et liberalitatis mutue per curam minimorum) afferimus, tantum gratiæ haurimus. Et ut sponte sol radiat, dies illuminat, fons rigat, imber irrorat, ita se Spiritus celestis infundit. S. CYPR. l. III, ep. II, ad Donat. Imo, ut S. Magdalena de Pazzis divinitus didicit, tantopere se desiderat communicare nobis, ut, dum quis vult esse particeps communicationis illius, id ipse reputet, ac si alter magnum aliquid ipsi communicaret. *Vita p. III § 5.**

Utilitas propria: Sicut enim mercatores ditescere volentes, etiam minima quæque lucra non negligunt; ita neque eos spiritualibus divitiis congregandis intenti minimas lucrandi occasiones negligere debemus; ne aliqui illud S. Cypriani in nos quadret: Quæ excusatione nos purgabimus, qui diaboli servis, munera pretiosa et grandia, et

nimio ac longo labore quæsita sumptuosissimo apparatu comparantibus, minores sumus. *S. CYPR. Op. et elem.*

Dei, nature, artium, minima equali perfectione curaque perscientium exemplum: sic enim S. Hieronymus hortatur, dicens: Sicut Creatorem non in celo tantum miramur, et terra, et sole, sed in minutis quoque animalibus, formica, culice, muscis, vermibus, et ejusmodi genere, quorum magis scimus corpora, quam nomina, eandemque in cunctis veneramus solertiam; sic mens Christo dedita æque et in majoribus, et minoribus intenta est, sciens etiam pro otioso verbo reddendam esse rationem. *S. HIERON. ep. III, ad Heliod.*

Diaboli astutia et fallacia: qui, ut S. Franciscus dicere solebat, non vult de nobis plus quam tenuissimum capillum; ex illo enim hamum ingentem, validumque ad nostras constringendas animas, sibi que vindicandas conficere solet. Et si vel semel levissimum turpem cogitationem excutere cunctemur, id arripit, et longum agmen foetorium specierum consequentium adnectit. *JOSEPH. ANCH. Vita, l. V. Sed et modica delicta, ut B. Marcus Eremita advertebat, admodum elevat, et extenuat; aliqui enim hominem ad majus malum et vitium adducere non possent. B. MARCUS EREMIT. c. de Leg. spir. § 96. Id quod S. Chrysostomus exemplo Caini confirmat, cui prius persuasit dæmon deteriora offerre, nullum esse id dicens peccatum; deinde invalidæ veneno succendit, nihil etiam hinc mali securum persuadendo. Ita tandem in eum illapsus ad eadem fratris, et ad negationem sceleris impulsi. Et paulo post etiam Judæ exemplum adiciens, nisi putasset, inquit, parvum esse, peccaniam inopum surripere, in tantam protervitatem non devenisset. *S. CHRYS. h. xxxi, in Matt.**

Turpitude, quæ oritur ex minimorum neglectu: nam, ut sapienter advertit Cassianus, a potente elidi, licet sit in dejectione dolor, et gemitus in amissione victoriæ, tamen quodammodo de adversarii robore victis nascitur consolatio; sin vero inimicus exilis, et genus collocationis infirmum, ultra dejectionis dolorem confusio turpior, et ignominia detrimento gravius infertur. *CASSIAN. l. VII Inst., c. xx.*

Periculum salutis: nam ut recte dixit Seneca, ista, quantumvis exigua sint, in majus exedunt. Numquam perniciosa servant

modum : quamvis levia initia morborum serpunt, et ægra corpora minima interdum mergit accessio. SENEC. *ep.* LXV.

ASCETICA.

Quatuor sunt, quæ de hac materia bene nosse, observare debet Asceta. Primum est, ut certo sibi persuadeat, hanc minimorum curam esse unam ex præcipuis capitibus, a quibus vigor, et progressus religiosæ perfectionis pendet; cum, ut S. Thomas recte docuit, omnis scientia operativa tanto perfectior sit, quanto magis particularia considerat, in quibus est actus. S. TH. *in Prol.* XXII. Hinc S. Chrysost. ait : Nostri magistri non solum opus turpe condemnant, neque tantummodo concupiscentiam prohibere contenti sunt, sed et vultum impudicum, et lasciva verba, visumque ineptum, sed et habitum inordinatum, incessum inconditum atque clamorem, et omnino usque ad humilia præcepta deducunt diligentiam disciplinæ. S. CHRYS. *hom. 1 in Matth.* et S. Ephrem sapienter monet : Eum qui cæteris præest, peritissimum esse convenit, et ad consulendum salutis subditorum vigilantissimum, utque singulorum observet incessum, gestum, motum, et habitum, adhibita etiam debita earum rerum correctione, quæ minus conveniunt, ut ad optimum ea statum, formamque reducantur. Magistri enim elementorum non solum figuras discipulis ostendunt, sed etiam minima quæque puncta distinctione proponunt. S. EPHREM., *s. de Vit. Spir.* Hinc Alphonsus Rodriguez de hac materia disserens tandem sic concludit, atque, tanti nos debere facere ea, quæ de hac materia dicuntur ut servare pro generali regula debeant, scilicet, quamdiu quis æstimabit, magnique faciet res parvas, recte incedet, et Deus sua gratia ipsum provehet ulterius; contra si ipse negligat, periculose incedet, quia scilicet per istam portam omnia mala in spirituales religiosi domum incurrunt. ROBR. *p. 1 de Perf.*, tr. I, c. XIX.

Alterum est, ut sciat, in quibus potissimum minimorum cura occupari debeat; quæ quidem Nigronus in duo capita, scilicet declinanda et quærenda dividit, ut supra vidimus Lancizius in tria genera distinguit quorum primum continet fugienda, nempe pec-

cata et imperfectiones : secundum observanda comprehendit, nimirum leges, scripturas, viva voce traditas, consuetudines, opera superogationis, modum hæc omnia exequendi : tertium mortificanda includit, scilicet externorum sensuum et internorum affectuum compressionem ac subjugationem. LANCIZ. *op. v.* c. 5.

Tertium est, ut specialem affectum et amorem concipiat erga minima in omnibus rebus ad quotidianum usum spectantibus, puta victu, vestitu, officiis, honore, etc. eumque in finem privilegia ejusmodi minimis concessa bene apprehendat, nempe. 1. Quod Deo magis placeant, utpote in quibus minimum de commodo, et amore proprio reperitur. 2. Quod Christi exemplo et verbis (quibus ad novissimum locum amplectendum hortabatur) magis conformia sint. 3. Quod proximum magis ædificant. 4. Quod majorem profectus nostri promovendi occasionem offerant, cum, qui magis nos ipsos abnegamus, deprimimus, et humiliamus, tanto magis in spiritu proficiamus, et caelestium donorum capaces efficiamur. 5. Quod majorem animo quietem concilient, cum ejusmodi minima semper et ubique inveniantur, facilius obtineantur, securius et sine invidia possideantur, sine labore conserventur et sine dolore amittantur; atque adeo verum sit, quod qui separat pretiosum a vili, quasi os Dei, id est specialiter dilectus sit.

Quartum est, ut tria illa impedimenta, quæ ab electione et cura minimorum non modice impediunt, fortiter et efficaciter removeat : quorum primum est « falsa opinio, » qua sibi quis persuadet, nihil utilitatis, dignitatis aut jucunditatis inesse minimis, sed si gemario de gemmarum pretio judicandi creditur, cur Christo vilissima semper et minima eligenti non perinde credatur? Secundum est « erroneum aliorum judicium » nihil ejusmodi minima facientium; verum cum sapientia hujus mundi stultitia sit apud Deum, quis non videt, ejusmodi judicia ab Asceta fortiter spernenda, Christie et Sanctorum, perfectorumque judicis postponenda esse? Tertium est « amor proprius » ad optima quæque et splendida secundum carnem appetenda inclinans; sed si commodiore corpori eligimus, cur non potius ea quæ animæ meliora sunt, inquirimus? quid autem melius et pretiosius, quam minimorum cura?

MISCELLANEA.

QUALITAS. — De muliere sapiente dicit Salomon : Manum suam misit ad fortia, et digiti ejus apprehenderunt fusum. Prov. XXXI, 10. Quia videlicet, ut explicat D. Damianus, hujus vitæ idoneus executor sic se per majora opera ex desiderio fervore dilatat, ut etiam causas, quæ sunt minimæ, non derelinquat. DAM. *op. xv.* c. 1. Clarius vero S. Franciscus Salesius : Applica, inquit, tu manum ad fortia, proximo pro necessitate Christiana etiam cum vitæ periculo succurrendo, pro injuriis hostimenti loco gratias hosti referendo, frequenti Sacramentorum usu animas et piacularibus flammis liberando, etc., sed et digiti quoque fusum teneat, leves corporis afflictiones, parvas sui abnegationes ac dimissiones per idem sæpius sectando. ENGELER. *Dom. Sept.* § 8.

NECESSITAS. — Christus Dominus S. Birgitta dixit : Qui non bene utitur minimis, justum est, ut maximis non gloriatur. *Rev. inter.*, l. III, 43.

UTILITAS. — S. Cyrillus in illud Christi : Vestri capilli capitis omnes numerati sunt : quid capilli, inquit, et capitis pilli, nisi minutissimas actiones significant, quas Deus exacte observat, ac præmiat? S. CYRILL. *ap. Eng.*, *Do. sept.* § 1.

S. Libaræ Virginis colus subito frondere, florere, ac amenissimos flores producere cœpit, testes præmii, quod etiam pro minimis laboribus offert Deus. ROSWEID. 8 oct.

Mimus quidam, cum proximis ludis promississet se dicturum quid quisque maxime optaret, conducto die dixit : Omnes vultis vili emere, e carò vendere. Hoc autem per minimorum curam obtinetur. LESS. *l. 1 de Sum. bon.*, c. II.

DAMNUM. — Fr. Egidius dicere solebat, parva negligentia, et exigua culpa posse auiti gratiam, quæ postea reparari vix queat. LIREUS., *Apoph.* l. 1. 1.

M. Varro, cum suasisset, ne quis rusticana prædia juxta lacunos, palustriæque loca construeret, quæsitus, quæ de causa id suaderet, respondit : Inde animalia minuta crescere, quæ oculis quidem conspicui non queant, sed per aera intus in corpus per os, et nares attrahantur, et difficiles morbos

TOMUS III.

creant. VARRO, *l. 1. de Agric.* c. XII. Idem contingit, qui prope mundum palustrem habitant, et minuta peccata sine horrore admittunt.

Quemadmodum, teste Poeta,

Parva necat morsu spatiosus viperæ tanram,
A cane non magno sepe tenetur aper.
Ita non levius damnum a peccatis levibus timendum est.
OVID., *l. II, de Remed. amor.*

AUCTORES.

Julius Nigronus in speciali tract. *de Cura minimorum.*

Nicolaus Lancizius opusc. II, proœm., et opusc. V, c. IX, et X.

Hadrian. Lyraeus in *Apoph.*, V. S. Ignatii l. I.

Henricus Engelgrave, part. I *Lucis Ev.*, embl. XII et XIII.

Paulus Barry in *Solitudine Hagiophila* dissert. I. Oct. diei.

Alph. Rodrig. *de Perf.* part. I, tr. I, c. IX et X.

MISERICORDIA ERGA VIVOS.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est virtus, quo dolemus, et tristamur de miseria proximi, quam, si commode possumus, a fratre depellimus, et ei per auxilium spirituale, aut temporale, subvenimus. S. GREG. in *lib. de Beat. Ant.* ut S. Greg. Nyssenus definit, est erga eos, qui ob res aliquas tristes, ac molestas se discruciant, cum dilectione conjuncta affectio. Dicitur est a misero corde eo quod unusquisque intuetur quempiam miserum, et ei compatiens animus tangitur, ipse cor miserum facit, ut eum a miseria liberet, cui intendit. S. GREG. in *Mor.* Differt a miseratione, quia per misericordiam miserentis affectum intelligimus, per miserationem vero ipsam misericordiæ exhibitionem signamus juxta id, quod scriptum est : Misericors et miserator Dominus; superfluum enim esset, utrumque ponere, nisi esset varietas in significatione. Id. in *Ps. psen.* Unde